

vestre dilectioni significo, pleno me frui per Dei gratiam beneficio corporee sospitatis et prosperis satis eventibus habundare, quod de vobis audire me plurimum delectaret. Vestrum itaque statum utinam semper votiva felicitate florentem michi si placet rescribite una cum statu talium, quem semper opto dierum beatitudine choruscantem^a. Si enim gaudeant, gaudeo, et si quicquam sibi sit nubilum, michi nichil potest esse serenum. Ceterum vestram sollerciam de meis negociis non moneo, satis vos arbitrans vigilem et ferventem.

199.

Inconveniens et rationi contrarium arbitratur, quod quis innocencie claritate precinctus dire mortis penam incidat et dampnetur in eo, pro quo, ut testatur veritas, deberet merito coronari. Hoc nos pura mente sincerius attendentes pro strennuo viro t(al)i vestri re vera honoris fervido zelatore laudabile vobis testimonium perhibemus, quod ipse sicut novit Altissimus, scrutator et cognitor^b secretorum, diu in nostra presenciam feliciter conversatus nunquam de labiis suis protulit irrita, que vobis forent in rebus vestris vel corporibus nocitura. Set ad omnia sedulus laboravit, que honorem vestrum in altum possent extollere et nomen vestrum in excelso principum solio collocare. Igitur fid(elitatem) v(estram) ro(gamus) plen(issimo) cum affectu), quatinus ipsum, quem tante fidelitatis opera ad sensum demonstrant impositi criminis innocentem, abraso cuiuslibet sinistre suspicionis scrupulo habere velitis nostre dilectionis intuitu clemencius excusatum et eum tamquam fidelem et subditum vestrum vobis curetis resumere ulnis singularis gratie pie et misericorditer amplectendum. Propter hoc enim regalis benivolencia in omnibus, que vestris arriident beneplacitis, vobis benignius aspirabit.

205.

Quia honestam matronam tutorio solacio destitutam pio favore prosequimur, fid(elitati) t(ue) fir(miter) iniungimus et mandamus precise volentes, quatinus eidem matrone in bonis suis que obtinere dinoscitur non presumas de cetero molestiam irrogare, set ei potius in omnibus suis negociis favorem impendas benevolum et benignum.

a) 'ru' in Corr. T. b) 'cognitor' T.